

41. *Obj. II.* Amor, quo S. Paulus Philipp. 1. v. 23. cupiebat *dissolvi et esse cum Christo*, erat amor perfectæ caritatis : atqui amor ille includebat motivum propriæ felicitatis : unio enim cum Christo necessario supponit et objectum quod diligitur, et subjectum quod diligit ; ergo ex motivo spei actus perfectæ caritatis et contritionis potest concipi.

R. N. *min. cujus prob. D.* Unio cum Christo supponit objectum seu Deum qui diligitur propter summam suam perfectionem in se absolute consideratam C. propter suam bonitatem spectatam relative ad nostram beatitudinem N. Explicatio ista petitur ex S. Augustino, qui L. 3. de doctrina Christiana c. 10. n. 16. ait : *Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter seipsum, et se atque proximo propter Deum.* Cum quis amat beatitudinem tanquam bonum sibi, ita ut beatitudo sit proxima ratio amandi tale bonum, est amor proprius concupiscentiæ, specie alius ab amore caritatis. Quando autem quis sibi amat beatitudinem immediate et proxime propter gloriam Dei, ut hunc tanquam amicum præsentem habeat, ac de bonis ejus gaudeat, amor iste, licet materialiter possit denominari concupiscentiæ ob beatitudinem, quam quis sibi amat, formaliter tamen et quoad motivum est amor amicitiae : cujusmodi erat desiderium Pauli ad Philip. 1. v. 23. Ita Suar. L. 2. de necessit. grat. c. 13. n. 23.

*Inst. 1.* Deus per caritatem diligitur ut beneficus et beatificus : atqui non potest ita diligi sine respectu ad bonum quod ex ipso speramus ; ergo sine motivo spei caritas non elicitur.

R. D. M. Deus per caritatem diligitur, ut beneficus ratione principii C. ratione termini N. Diligitur Deus ens a se, principium omnium perfectionum, inter quas continentur etiam benignitas et ratio finis ultimi seu beatitudo objectiva : quamvis beneficia in nos derivanda, item possessio et fructio summi boni, qui sunt termini divinæ benignitatis, ac Deitatis beatificantis, a caritate directe non spectentur. Secundum hactenus dicta accipi debet, quod S. Thomas 1. 2. q. 65. a. 5. ad 1. et q. 114. a. 4. scribit, caritatem esse amorem Dei, quo diligitur ut beatitudinis objectum : nimirum ratione summæ suæ perfectionis, ob quam non solum est principium omnium rerum, sed etiam illarum finis et beatitas.

*Inst. 2.* Non potest homo se exuere desiderio naturali, quo in beatitudinem fertur ; ergo desiderium istud in omnem caritatis actum se insinuat.

R. D. *Ant.* Non potest se homo exuere desiderio, quo in beatitudinem fertur vel formaliter, explicite, vel virtualiter tantum, implicite, materialiter ac præsuppositive C. quo in beatitudinem semper feratur formaliter et explicite, quasi actus quilibet sit formale beatitudinis desiderium N. In actibus liberis mentem a beatitudine ita avocare possumus, ut non formaliter propter hanc, sed propter absolutam objecti excellentiam operemur. Quoniam autem innatum nobis est erga beatitudinem generatim desiderium, hoc ipsum semper virtualiter, materialiter vel præsuppositive nobis inest, etiam quando ex caritate purissima agimus : quæ quidem caritas desiderium beatitudinis adeo non rejicit, ut illud una cum spe etiam imperet. Nam et amor quo in Deum ut nobis bonum ferimur, castus, purus et gratuitus dici meretur intuitu amoris mercenarii, quo Deum ob temporalia bona diligitur ; non vero caritati perfectæ comparatus ; etsi simpliciter sit castus et purus hoc sensu, quod bonus, honestus, necessarius et supernaturalis sit.

Distinctione data explicanda sunt, quæ S. Bernardus epist. ad Guigonem n. 8. (opp. t. 1. p. 31. edit. Mabill.) de quarto amoris gradu disserit : *Nescio, si a quoquam hominum in hac vita perfecte apprehenditur, ut se scilicet homo diligat tantum propter Deum. Asserant hoc si qui experti sunt : mihi, fateor, impossibile videtur.* Hoc est, nemo tam pure Deum diligere potest, ut in corde suo propriæ beatitudinis desiderium extinguat.

*Inst. 3. S. Th. 2. 2. q. 23. a. 5. ad 2.* Una sola, inquit, ratio diligendi attenditur principaliter a caritate divinâ bonitas, quæ est ejus substantia... Aliæ autem rationes ad diligendum Deum inducentes sunt secundariæ, et consequentes ex prima. Ergo ratio qua Deus intuitu beatitudinis nostræ diligitur, est motivum saltem secundarium caritatis.

R. N. *Cons.* Rationes illas secundarias, ait S. Doctor, esse tantum dispositiones, quæ ad perfectam dilectionem præparamur : cujusmodi sunt beneficia, præmia sperata, aut pænæ evitandæ, quibus disponimur ad hoc ut in dilectione proficiamus, ut exponit ibidem q. 27. a. 3. In quem sensum antea q. 23. a. 1. et 5. et q. 25. a. 10. *Amicitia caritatis*, inquit, fundatur super communicationem beatitudinis, nimirum tanquam super dispositionem excitantem ac moventem ad caritatem.

*Inst. 4. S. Bernardus L. de diligendo Deo c. 1. n. 1. et c. 7. n. 17.* (opp. t. 1. p. 584. A. et 591. C.) ait, *ob duplicem causam Deum dixerim propter seipsum diligendum : sive quia nihil justius, sive quia nihil fructuosius diligi potest... Dubitari namque potest quid potissimum dubitetur : utrumnam, quo suo merito Deus, aut certe quo nostro sit commodo diligendus.* Ergo.

R. N. *Cons.* Explicatio data jam est in responsione ad obj. 2. et ad ejus instantiam. Quam doctrinam magis adhuc illustrat Suaresius disp. 1. de objecto materiali et formali caritatis, ubi ait, S. Thomam 2. 2. q. 23. a. 4. hoc sensu dixisse, *speciale objectum caritatis esse donum divinum, ut est beatitudinis objectum : quia Deus ut objectum beatitudinis non amatur propter aliud tanquam propter finem : finis enim ultimus ut sic, non amatur propter aliud.* Sive ergo S. Bernardus Deum caritate pura, sive affectu spei diligendum esse pronuntiaverit, ex modo dictis patet, semper propter seipsum diligendum.

## ARTICULUS II.

## DE QUANTITATE CONTRITIONIS.

42. *Nota I.* Postquam de contritionis essentia disputavimus, juvat nunc ejus quantitatem expendere. Hæc vel est intensiva ob vehementiam actus ipsius : vel spectatur ratione temporis quo actus durat : vel ad objecta plura sese extendit, prout detestatio debet esse universalis. De quo argumento jam pluribus egimus : nam cum contritio perfecta caritate peccatum delet extra sacramentum, ut nuper ostensum fuit, atque alias adhuc probabitur : caritatis autem motivum sit vel maxime universale ; sequitur plane actum omnem perfectæ contritionis omnibus et singulis peccatis adversari, quod concl. 2. a. 2. cap. præcedent. demonstravimus.

*Nota II.* Restat nunc demum, ut de intensione et duratione actus, quo ex caritatis motivo peccata detestamur, breviter disseramus. Ubi singularis omnino est Adrianus in 4. q. 2. de poenit., ad veram contritionem exigens

summam actus intensionem, quam homo conatu omni sibi possibili possit exhibere.

Huic proxime accedit Petrus Sotus, qui lect. 14. et 18. de poenit. docet necessariam esse intensionem maximam, non absolute, sed comparative, ut scilicet poenitens majore voluntatis conatu et ardore feratur in peccati odium et amorem Dei, quam horreat quodvis aliud malum, aut bonum creatum quodlibet diligat. Quod idem videntur putasse S. Bonaventura in 4. d. 16. a. 2. q. 1., Durandus d. 17. q. 4., Richardus a. 1. q. 5. ad 3., et Joannes Morinus de administrat. sacram. Poenit. L. 1. c. 14.

Alii dicuntur maximam quidem detestationis intensionem non exigere, certum tamen gradum, quem Deus solus novit.

*Nota III.* Scotus in 4. d. 14. q. 2. scribit, actum detestationis non habere rationem contritionis, nisi prius tempore aliquo, quod Deus determinavit, duret. Opinionem istam probabilem judicat Jacobus Almainus ibidem. Sed et Cajetanus tom. 1. Opusc. tract. 4. q. 1. ait, Deum aliquando expectare hujusmodi durationem, priusquam acceptet actum in ratione contritionis, et dispositionis ultimæ ad gratiam.

*Nota IV.* Contra hos omnes Theologi passim contritioni perfectæ nec certam moram temporis, nec modum intensionis præscribunt, aiuntque ad magnitudinem ipsi debitam sufficere, si detestatio fuerit *appretiative* summa. Nam sicut Deum amore summo *appretiative* amare, est ipsum diligere super omnia, h. e. plus ipsum diligere, quam quodvis bonum aliud, et creatis rebus omnibus anteferre: ita contritione *appretiative* summa detestatur peccatum, quando tali amore Dei incensi, peccatum majus et gravius malum æstimamus esse, quam cætera omnia, et præ his omnibus illud magis aversamur, ita ut, data optione, malimus omnia damna et dolores subire, quam peccato consentiendo Deum offendere. Detestatio ista uti ab rationis judicio oritur, ita in parte animæ superiore potissimum residet, et est dolore intensivo magno præstantior: nam intensio detestationis ac doloris major aut minor sæpe oritur ex commoda humorum temperie, qua appetitus inferior facilius afficitur ad objectum, quod imaginationi vivacius quandoque occurrit. Secundum hanc explicationem

43. *Dico I.* Ad perfectam contritionem non requiritur certus modus aut gradus intensionis, sed sufficit detestatio peccati summa *appretiative*, ex caritatis motivo perfecta.

*Prob. I.* Dum Christus Matth. 22. v. 37. et Marc. 12. v. 31. recitat præceptum, Deut. 6. v. 5. latum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua*; sine dubio summam Dei dilectionem requirit: atqui dilectio Dei secundum intensionem summa est impossibilis; cum actus caritatis infusæ versus maximum in intensione non habeat terminum. Igitur tantum præcipitur Dei dilectio summa *appretiative*, quæ etiam est mensura contritionis.

Neque causari potest Adrianus, requiri tantum contritionis intensionem summam respective, seu intuitu præsentis auxilii gratiæ: hoc enim sensu peccator eliciens contritionem intensam ut duo cum auxilio ut duo justificaretur: alius e contra, concipiens dolorem intensum ut quatuor cum auxilio intenso ut quinque, maneret in statu peccati; quod est absurdum.

Eadem difficultas occurrit in opinione Petri Soti et aliorum quorundam. Nam si detestatio affectus intensione debet excedere præsentem de aliis malis dolorem, evenire potest, ut contritio minus intensa justificet quandoque, cum alias magis intensa non justificaret: quia minus intensa excedere facile potest dolores de malis aliis admodum remissos; dum vicissim intensior contritio crebro ne attingit quidem vehementiam gravissimorum dolorum de malis aliis. Actus enim voluntatis intensio sequitur vehementiam objecti; objectum autem sensibile naturaliter vehementius movet et afficit animos, quam objectum spirituale et non sensibile.

Denique gratis omnino recentiorum quidam certum intensionis gradum ad contritionem extra sacramentum justificantem poscunt. Est enim grave præceptum eliciendi quandoque contritionem: at nullum datur præceptum de re ignota, cujusmodi sunt contritionis intensæ certi gradus; ergo sine sufficiente ratione exiguntur.

*Prob. II.* S. Scriptura et Patres caritati tribuunt vim justificandi peccatores, quin ullum intensionis gradum adjiciant; ut liquet tum ex testimoniis supra adductis, tum Eccli. 3. v. 4. *Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis suis, et continebit se ab illis, et in oratione dierum exaudietur.*

LEO M. epist. 91. ad Theodorum episc. (al. 108. c. 4.) *Misericordiæ Dei*, inquit, *nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur moras vera conversio.* S. JOAN. CHRYSOSTOMUS L. 1. n. 6. (opp. t. 1. p. 8. A.) ad Theodorum lapsus. *Brevem penitentiam et ad modicum exhibitam non abnuil, sed magnam ei mercedem tribuit*; et ibid. D. *Non ex temporis longitudine, sed ex animi affectu penitentia æstimatur.* S. AUGUSTINUS tract. 9. in Joan. n. 8. *Caritatem*, inquit, *cum habere cœperit (homo), Spiritum sanctum habebit.* Et tract. 5. in epist. Joan. n. 5. ait: *Non discernuntur filii Dei a filiis diaboli, nisi caritate. Qui habent caritatem, nati sunt ex Deo; qui non habent, non sunt nati ex Deo.*

Concilium etiam TRIDENTINUM dum Sess. 14. cap. 4. ait, *contritionem caritate perfectam hominem Deo reconciliare, priusquam sacramentum actu suscipiatur*, discrimen utriusque contritionis non ab intensione diversa actuum, sed a solis amborum motivis commonstrat.

*Prob. III.* Caritas habitualis, utcumque remissa, excludit peccatum mortale; ergo etiam caritas actualis. *Consequentia patet ex eo, quod minima caritas plus diligit Deum, quam cupiditas millia auri et argenti*, ut inquit S. THOMAS 3. p. q. 70. a. 4. Sicut enim quæcumque aversio a Deo ut fine ultimo, et conversio ad creaturam, etiam in gradu remisso, sufficit ad peccatum mortale et ad jaecturam gratiæ sanctificantis; ita et quilibet actus dilectionis Dei super omnia peccatum destruit, cui non ratione intensionis opponitur, sed ex natura sua.

Quapropter PIUS V. et GREGORIUS XIII. merito damnarunt Baii propositiones 31. 32. 66. et 68., quæ docteur hic Lovaniensis statuit, quod caritas perfecta et sincera, caritas vera, contritio cum caritate perfecta possint extra casum necessitatis aut martyrii sine susceptione sacramenti esse absque remissione criminis. Atqui per caritatem perfectam Baius non intellexit intensam caritatem, sed eam solum qua Deus propter se super omnia diligitur, hoc est, caritatem veram: neque enim negabat, caritatem intensam justificare

extra casum necessitatis et susceptionem sacramenti. Ergo juxta mentem Pontificum, caritas etiam minus intensa, modo vera adhuc, ad justificationem sufficit.

44. *Obj. I.* Peccatum super omnia mala detestari est illud cum malis cæteris conferre : atqui hoc foret admodum periculosum, et dissuadendum infirmioribus; eo quod objectis præsentibus et corporeis facile moveamur; ergo non quælibet contritio perfecta detestatur peccatum super omnia mala.

R. *D. M.* Peccatum super omnia mala detestari est illud conferre semper explicite et formaliter, expendendo mala cætera singillatim, aut omnia confuse, et ea præ peccato eligendo *N.* est illud conferre saltem implicite et virtualiter cum malis cæteris *C.* Utique formalis comparatio est dissuadenda, ne malorum præsentium imaginatione viva nimium obversante terreantur imbecilli, et ad illa fugienda peccare malint. Quando autem detestamur peccatum ut summum malum, virtualis ad minimum instituitur comparatio; neque enim voluntas detestari potest peccatum tanquam malum gravissimum, quin illud saltem obiter et implicite comparet cum malis cæteris, quæ peccati intuitu minus atrocita et enormia esse videntur. Modus vero ita detestandi ex perfectæ caritatis motivo habetur : sicut enim ex hoc Deus ut summum bonum, et consequenter super omnia amatur : ita ex eodem peccatum ut summum malum, utpote summo illi bono unice contrarium, aversamur; ac vi hujus quidem actus voluntas ita disposita manet, ut malit quodvis malum ante pati, quam lethali culpa Deum offendere. Porro quamvis peccator ex animi perversitate bona præsentia et sensibilia quandoque virtualiter præferat omnibus bonis reliquis, ac ipsi quoque Deo, idque ob rationem valde vilem; depravatio isthæc nihil sententiæ nostræ detrahit, sed eam confirmat amplius : inde enim palam fit, Deum amari nunquam posse ex præstantissimo puræ caritatis motivo, quin virtualiter bonis omnibus anteferatur.

*Inst. 1.* Contritio non potest peccatum detestari super omne malum Deo intrinsicum, quale esset perfectionis cujusdam divinæ destructio; ergo non potest detestari peccatum super omne malum.

R. *N. supp.* Quod possit malum Deo intrinsicum dari, et comparatio de eo fieri : contritio ergo, cum sit actus proæreseos, non fertur, nisi in objecta possibilis.

*Inst. 2.* Si per contritionem perfectam detestamur peccatum super omne malum; ergo is, quem gravioris peccati pœnitet, ita est affectus, ut malit peccata leviora committere, quod perquam absurde dicitur, cum nullum peccatum sanæ electionis objectum sit.

R. *N. Illat.* Pœnitens ex amore puro Dei detestatur peccatum secundum se super omnia physica mala, et super omnes pœnas sensus et damni, et comparatione saltem virtuali fertur in illa actu etiam prosecutivo eadem præ peccato eligendo, ac dicendo : malim omnia ista potius subire, quam peccando Deum offendere. E contra cum peccata prudenter appeti nequeant, in eorum nullum fertur actu prosecutivo, minus grave præ graviori eligendo; sed tantum actu aversante magis abhorret graviora, quam minus gravia, cum peccata inter se mutuo comparantur; eo quod illa sint majus Dei dilecti malum,

45. *Obj. II.* Peccator summe offendit Deum; ergo, cum contritio sit dispositio proxima ad gratiam, summa illius intensio requiritur.

R. *D. Ant.* Peccator Deum summe offendit, considerata dignitate personæ offensæ *C.* semper cum summo intensionis conatu *N.* Et quamvis hoc fecisset, tamen in dispositione ad gratiam similis intensio detestationis non exigeretur : nam cum minima gratia ad remissionem cujuscumque culpæ sufficiat, sufficiens quoque et proportionata gratiæ dispositio est dolor secundum substantiam et essentiam summus, seu ex puræ caritatis motivo conceptus; et consequenter erit etiam contritio ista culpæ proportionata.

*Inst. 1.* Pœnitens non potest Deo pro peccatis condignum reddere; ergo merito ab ipso exigitur quantum potest ex toto conatu sibi possibili.

R. *D. Cons.* Exigitur quantum potest quoad dolorem ex sua substantia perfectissimum *C.* quantum potest quoad doloris ejusdem intensionem *N.* Intensio hæc summa accidentaria est : nec expediebat salutis viam adeo difficilem reddi.

*Inst. 2.* Ignis licet in minimo gradu essentialiter perfectus, impar tamen est expellendo frigori; ergo etiam caritas non opponitur peccato, nec illud destruit ratione suæ essentialis, sed ratione gradus duntaxat.

R. *N. Cons.* Actio physica calefaciendi et comburendi fit successive applicando activa passivis : actio vero spiritualis caritatis et virtutum supernaturalium non est successiva, sed instantanea ac indivisibilis.

*Inst. 3.* Quod movet ad appetitionem, movet quoque ad intensionem actus; ergo contritio non potest esse summa appetitive, et remissa intensive; nam intensio doloris in voluntate sequitur magnitudinem doloris ex objecti æstimatione.

R. *N. Ant.* Appetitio oritur ex dignitate et præstantia objecti : intensio vero actus ex magna et vehementi applicatione facultatis ab objectum. Dictum autem est supra, vehementius appetitum nostrum moveri ab objectis sensibilibus, quæ nihilominus ob suam vilitatem honestis et præstantioribus objectis postponimus. Exemplum præbent nobis matres, quæ vehementiore amore feruntur in filios parvulos, licet conservationem vitæ filiorum ætate grandiorum præferant.

46. *Obj. III.* S. Scriptura et Patres requirunt, ut magno conatu enitatur ad contritionem peccatis proportionatam : probant id testimonia art. 1. recitata. Et Michææ 4. v. 10. *Dole et satage quasi parturiens.* Apoc. 3. v. 16. reprehenduntur tepidi : hi autem sunt qui remisere operantur. S. CYPRIANUS tract. de lapsis, ad finem (opp. p. 178. edit. Parisina, 1666.) *Quam magna, inquit, deliquimus; tam granditer defleamus. Alto vulnere diligens et longa medicina non desit : pœnitentia crimine minor non sit.* S. CÆSARIUS Arelatensis homil. 1. hæc, inquit, *principalia mala ingenti rugitu et gemitu, et fonte indigent lacrymarum,* etc. In eundem modum scribunt S. AMBROSIIUS ad Virginem lapsam c. 8., et L. 2. de pœnit. c. 10., S. AUGUST. serm. 34. c. 12., S. GREGORIUS L. 4. Moral. c. 17., aliique, quorum sententias coacervat Morinus. His accedit, quod Catechismus Concilii Tridentini part. 2. de Pœnit. n. 46. *ut doloris,* inquit, *acerbitas cum scelerum magnitudine æquari conferrique possit.* Et S. THOMAS in 4. d. 17. q. 2. a. 7. quæstiunc. 3. ait, dolo-

rem voluntatis adeo remissum esse posse, ut non sufficiat ad contritionem; ergo.

R. N. Cons. 1<sup>o</sup>. S. Scriptura et Patres frequenter nos docent, quid fieri deceat: optanda nimirum est et optima contritionis quoad gradus intensa magnitudo; eaque laudatur in regibus Davide et Manasse, uti in B. Petro aliisque pœnitentibus. Nam cum Deus sit summe bonus ac diligendus, peccatum vero maxime detestabile, timeri nullus excessus debet aut in amore Dei, aut in odio peccati.

2<sup>o</sup>. Eadem S. Scriptura, Patres et Catechismus laudatus indicant, qua ratione peccatum summe appreciative detestari debeamus: ad hoc enim sæpe magnus conatus requiritur, ut inclinetur voluntas ad detestandum peccatum, cujus amore tantopere prius exarserat.

3<sup>o</sup>. Idem Catechismus, Scriptura, et Patres loquuntur ut plurimum de remissione peccati quoad reatum: nam pœna temporalis post culpam condonata residua non remittitur, nisi in hac vita numero et gravitati peccatorum satisfactio adæquetur. Quamquam quæ B. CYPRIANUS modo recitatus scribit, pœnitentiam solemnem, quæ in Ecclesia fieri solebat, concernunt: graviter enim ibidem reprehendit illos, qui crimina sine delectu æqualiter puniebant.

4<sup>o</sup>. Liber ille ad Virginem lapsam non videtur S. AMBROSII, nam cap. illo 8. ad finem (opp. p. 315. C. D.): *inhære, inquit, pœnitentiæ usque ad extremum vitæ, nec tibi præsumas ab humana die posse veniam dari: quia decipit te, qui hoc tibi polliceri voluerit. Quæ enim proprie in Dominum peccasti, ab ipso solo te convenit in die iudicii exspectare remedium.* Quæ quidem sententia Novatianum errorem continet, contra quem disputat S. AMBROSIIUS duobus libris de Pœnitentia. Vide Bellarminum de Script. Eccles.

5<sup>o</sup>. In Apocalypsi non vocatur tepidus, qui remisse operatur, sed qui mala opera bonis admiscet; ac præsertim qui cum fide habeat, caritate caret, ut declaravit S. THOMAS q. 3. de malo a. 13. ad 1.

6<sup>o</sup>. S. THOMAS cum S. BONAVENTURA et aliis antiquis, tunc solum, ait, contritionem minus intensam non sufficere ad justificationem, cum destituitur intensio, ut ita dicam, essentiali, objectiva, seu, quod idem valet, appreciativa, quando non est verus et efficax Dei amor, nec inducit ad detestandum peccatum super omnia. Nam ibidem manifeste pro nobis ita concludit: *Quantumcumque sit parvus dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet.*

Sed et B. AUGUSTINUS dum L. de Natura et Gratia c. 70. n. 84. ait: *Caritas inchoata, justitia est: caritas profecta, profecta justitia est; caritas magna, magna justitia est; caritas perfecta, perfecta justitia est; vult solum, quod qui incipit habere caritatem, incipiat etiam juste vivere; et crescente caritate, justitia vitæ augeatur.* Idem enim AUGUSTINUS caritati simpliciter tali peccatorum remissionem tribuit, ut tract. 5. in epist. Joan. n. 2. *Per dilectionem, inquit, peccata solvuntur.* Et tract. 9. n. 9. *Anima nostra foeda est per iniquitatem; amando Deum pulchra efficitur.*

47. Dico II. Detestatio peccati ex motivo caritalis concepta, ut sit contritio perfecta, nulla eget certa temporis duratione.

Prob. I. In S. Scriptura Deus pœnitenti justitiam et peccati remissionem

promittit ratione conversionis suæ absque ulla mora temporis. Ezech. 18. v. 21. *Si impius egerit pœnitentiam, etc. v. 27. Cum averterit se impius ab impietate sua... ipse animam suam vivificabit.* Et c. 33. v. 12. *In quacumque die conversus fuerit ab impietate sua, etc.* Perinde ac si diceret, *eodem momento.*

Ex eisdem Prophetæ locis argumentum petitur a contrario: *Cum averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem, morietur in eis.* c. 18. v. 26. *Justus non poterit vivere in justitia sua, in quacumque die peccaverit.* c. 23. v. 12. Hoc est, consensus in peccatum mortale statim ac fit, est peccatum mortale, gratiam destruens; ergo etiam actus contritionis statim ac fit, est vera et perfecta contritio seu ultima ad gratiam dispositio.

Isai. 30. v. 15. dicitur: *Cum ingemueris, tunc salvus eris.* Et quamvis Vulgata latina, proprius ad hebraicum textum accedens, habeat: *Si revertamini, et quiescatis, salvus eritis;* sanctus tamen CYPRIANUS epist. 8. et L. de lapsis circa finem, S. CHRYSOSTOMUS orat. de S. Philogonio, alique Patres Latini et Græci, priorem LXX. Interpretum lectionem tenentes, nullam veræ contritioni moram temporis statuunt, quo minus illico Dei gratiam obtineat, quemadmodum ex SS. LEONIS et CHRYSOSTOMI testimoniis nuper intelleximus. Quibus accedunt TERTULLIANUS L. de pœnit. c. 4., HIERONYMUS epist. 46. et 48., PACIANUS epist. 3. ad Sympron., et CÆLESTINUS Papa epist. ad Episcopos provinciæ Viennensis et Narbonensis paucis omnia complectens, *Vera, inquit, ad Deum conversio... mente potius est æstimanda quam tempore, propheta hoc taliter asserente: cum conversus ingemueris, tunc salvus eris.* Ecce idem Isaiæ testimonium ex vetere Italica versione prolatum, et sensum eundem reddens. Eum nostra Vulgata v. 19. manifeste confirmat his verbis: *Miserebitur tui: ad vocem clamoris tui statim ut audierit, respondet tibi.*

In quam rem B. AUGUSTINUS Enchiridii c. 65. *In actione pœnitentiæ, inquit, non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris.*

Nec tantum apud Isaiam conditionate illa dicuntur: sed etiam Zachariæ 1. v. 3., Jeremiæ 13. v. 19., Apocalypsis 3. v. 20. absoluta fit promissio: *Convertimini, et convertar;* ergo hæc duo inseparabiliter sunt conjuncta, quia veritas conditionalis postulat, ut posito antecedente, infallibiliter ponatur consequens: atqui homo convertitur, cum primum peccata per contritionem detestatur; ergo.

Prob. II. Ratione. Actus pœnitentiæ, qui extra usum sacramenti, tanquam sufficiens dispositio ad remissionem peccatorum, habet gratiam infallibiliter conjunctam, est vera contritio: atqui omnis actus, qui ex sua essentia et motivo est perfecta conversio ad Deum, et aversio a peccato, ejusque detestatio super omnia, habet infallibiliter et sine mora adjunctam gratiam et peccatorum remissionem, ut testimonia hæcenus allata ostendunt; ergo omnis talis actus continuo est vera contritio.

Conf. 1. Peccator lege naturali et positiva tenetur aliquando Deum super omnia diligere, et ex caritatis hujus motivo peccata sua detestari: at enim certam temporis moram in continuando, aut repetendo hoc actu præscriptam esse nullus docere potest.

Conf. 2. Actus fidei et spei supernaturalis sunt veri et perfecti actus virtutum theologiarum, licet non sint admodum intensi et vehementes,

aut prolixi, dummodo ex motivo sibi proprio concipiantur; ergo etiam actus caritatis ex motivo proprio conceptus, vere erit actus virtutis theologicae; et detestatio peccati ex ejusdem motivo profecta, erit vera contritio, quin certa intensio, aut prolixitas ad pias hasce affectiones requiratur.

*Conf. 3.* Posset homo in fine vitae detestari peccatum ex motivo caritatis perfectae, quin ei supersit tanta mora temporis, quantum Scotus exigit, ut ille actus sit contritio; adeoque peccator in eum posset statum redigi, in quo per verum poenitentiae actum peccati remissionem consequi non posset: consequens autem hoc damnatur ut erroneum a Gennadio Massiliensi, in libro de Ecclesiast. dogmatib. c. 80. (Patrolog. t. 58. p. 998. D.). Idemque refert ex Concilio Moguntino cap. 2. Ivo in suo decreto, part. 15. c. 32.

48. *Obj.* Actus contritionis est dispositio ad gratiam; atqui dispositio debet antecedere formam; ergo contritio aliqua saltem temporis duratione eget.

R. *D. M.* Contritio est dispositio ad gratiam qualiscumque *N.* est dispositio ad gratiam perfecta et ultima *C.* Hujusmodi dispositio non antecedit formam tempore, sed natura.

Nec paulo magis probat alterum Scoti argumentum, quod contritio debeat perfici usque ad certam intensiorem: nam praeterquam quod nulla certa ad actum contritionis requiritur intensio; ut ex hactenus dictis palam fit: intensio ista si requireretur, posset in instanti perfici in actu immanente, ut in qualibet forma, quae sine resistantia contrarii producitur. Ex his quae hucusque disputavimus

49. *Colliges 1º.* Contritione nos magis detestari peccata graviora quam leviora: in peccatis enim gravioribus magis apparet ratio motiva, puta malum Dei; unde majus odium et dolorem ac detestationem in nobis excitant.

2º. Propria item peccata magis detestamur, quam aliena: nam quia cuius homini speciatim injunctum sit, Deum ex toto corde amare, amori huic peccata propria vel maxime adversantur. Quam ob rem magis aversamur peccatum veniale a nobis commissum vel committendum, quam peccatum originale: per peccatum enim veniale homo actu proprio facit, ut Deo nonnihil displiceat, eique mali aliquid inferat; cum e contra originali peccato incurrat tantum et patiatum malum, nec se ipsum a Deo avertat, sed ipse voluntate aliena avertatur a Deo. Hinc etiam magis detestandum peccatum nostrum veniale actuale, quam mortale habituale: per hoc enim toleramus malum a Deo nobis illatum; cum e contra per illud novum Deo malum inferamus.

Nec refert, quod peccata aliena gravia sint majores Dei offensae, quam nostra levia: ordinata enim erga Deum caritas praecipit, ut, antequam de aliis cogitemus, ipsi prius maximum illud praecipuum implere satagamus; praesertim negativum, magis absolutum a tempore, loco, aliisque circumstantiis, ut ne quid adversus Deum committamus. Quapropter licet S. Thomas recte probet, B. Virginem Mariam in utero matris sanctificatam fuisse, quia majus est privilegium, immunem a peccato originali esse, quam a peccato veniali: ob hoc tamen privilegium non oportebat ut eadem B. Virgo minus

detestaretur, voluntate propria vel tantisper averti a Deo per peccatum veniale, quam aliena voluntate per originale peccatum, quod nobis tantum est proprium moraliter: caritas enim non tam commoda propria, quam Dei bonum intendit.

3º. In contritione excedi dupliciter potest, sed tantum per accidens. Ac primo quidem quando quis falso sibi persuadet, peccatum tam grande malum esse, ut ejus remissionem obtinere nequeat. Hunc nimium dolorem avertit Apostolus 2. Cor. 2. v. 7. scribens: *Ne forte abundantiori tristitia absorbeat qui ejusmodi est.* Quanquam actus ex errore illo profectus poenitentia proprie dici non possit.

Altero modo exceditur, si ex nimio voluntatis conatu valetudo graviter laedatur. Ubi Richardo, in 4. d. 17. a. 1. q. 8. dicenti, non teneri poenitentem ad capitis contentiorem remittendam, si noxia praevisa non fuerit, assentiri non possumus. Sufficit enim damnum praevium fuisse: quia praecipuo naturali tenemur ita moderari nostro fervori, ut ne quid gravioris detrimenti salus corporis patiatum; maxime quando id ad animae salutem opus non est, ut in casu praesenti accidit. Atque ideo sapienter Chrysostomus hom. 4. in 2. ad Corinth., et ad naturam et ad conditionem peccatorum poenitentiae labores monet esse temperandos.

## ARTICULUS III.

## AN AD CONTRITIONEM PERFECTAM STATIM REMITTANTUR PECCATA?

*Nota I.* Lutherus tradidit, neminem per contritionem Deo reconciliari, sive ante sacramenti Poenitentiae susceptionem, sive in ipso sacramento Poenitentiae: nam in assertionem articuli 6. ex sermone de Poenitentia, *ego, inquit, peccatum assero, quidquid ante gratiam fit in homine, tantum abest, ut praeparet ad gratiam.* Ait autem, contritionem esse effectum justificationis, quae prius habita sit per fidem, qua certo sibi persuadet, remissa sibi per Christum esse peccata.

*Nota II.* Ex Catholicis vero Theologis Baius, Jansenius, Estius, Gaspar Juenin, aliique Novatores appellant caritatem imperfectam, si quis actu remisso Deum propter se ac super omnia diligat, neque putant contritionem ex caritate hac imperfecta conceptam sufficere ad remissionem peccatorum ante susceptum Poenitentiae aut Baptismi sacramentum, nisi in casu necessitatis: sed opus esse contritione perfecta, hoc est, ea quae ex caritate Dei admodum intensa proficiscatur.

30. *Dico.* Qualiscumque contritio, quae propter Deum super omnia dilectum concipitur, continuo justificat poenitentes, etiam ante usum sacramenti. Haec est communis sententia Doctorum Catholicorum, qui contrariam opinionem gravissimis censuris proscribunt.

*Prob.* S. Scriptura simpliciter promittit gratiam Dei, et justificationem purae caritati Dei, et peccatoribus vere ad Deum ex toto corde conversis, ut constat ex testimoniis art. proxime praecedente adductis: atqui contritio quaevis propter Deum super omnia propter se delictum, est pura Dei caritas